

nobis malorum remedium genuit, nos illud uitae facimus uenenum. Non enim et ferro, quo carere non possumus, simili modo utimur ? Nec tamen quereremur merito, etiamsi maleficii causa tulisset. Aduersus unam quippe naturae partem ingrati sumus. Quas non ad delicias quasque non ad contumelias seruit homini ? In maria iacitur aut, ut freta admittamus, eroditur ; aquis, ferro, igni, ligno, lapide, fruge omnibus cruciatur horis, multoque plus ut deliciis quam ut alimentis famuletur nostris.

Et tamen quae summa patitur atque extrema 158
cute tolerabilia uideantur : penetramus in uiscera,
auri argentique uenas et aeris ac plumbi metalla
fodientes, gemmas etiam et quosdam paruulos quae-
rimus lapides scrobibus in profundum actis ; uiscera
eius extrahimus, ut digito gestetur gemma, quo peti-
tur. Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus !
Si ulli essent inferi, iam profecto illos auaritiae atque
luxuriae cuniculi refodissent. Et miramur, si eadem
ad noxam genuit aliqua ! Ferae enim, credo, custo- 159
diunt illam arcentque sacrilegas manus ; non inter
serpentes fodimus et uenas auri tractamus cum
ueneni radicibus ? Placatiore tamen dea ob haec,
quod omnes hi opulentiae exitus ad scelera caedesque